

FROTHO III. DANIAE REX.



Frotho eius nominis tertius, Danorum rex, filius fuit Fridleui eiusdem gentis regis. Hic septem annos natus sub tutorum patrocinio in regem Daniæ suscepitus fuit, anno creationis mundi ter millesimo noningentesimo quadragesimo. Erat is omnis generis uirtutibus & magna prudētia præditus. Itaque primò finitimos reges bello lacerriuit, & sibi tributarios reddidit. Postea etiam Hunnorum regem aggressus, in genti prælio superauit, atque suo tempore potentissimus monarcha in interiori Germania fuit. Itaque Saxo Grammaticus lib. 5. testatur, eius regnum ab Ortu Ruscia, ab Occasu Rheno flumine limitatū fuisse. Postea suam gentem certis legibus propositis mansuetiorem reddidit. Cum enim ante ipsius ætatem multi rapinis & furtis uiuerent, furtum capitali pœna interdictum, atque in eum qui furi ignosceret pari pœna animaduertendū decreuit. præterea si quis in acie primus fugam inijsset, eum à communī iure exclusit. Itaque tanta Frothonianæ maiestatis authoritas erat, ut etiam aurum in publico expositum, perinde ac firmioribus claustris custoditum conseruaretur. Vnde cum multis uictorijs, per Ericum copiarum præfectum acquisitis, illustris esset, communī edicto pacem sanciuit, atque magna tranquillitate cum suis uixit.